





DE
PIGNORIBVS IMPERII
ROMANI

LOCVS SERVII GRAMMATICI
AD VIRGIL. AEN. L. VII. V. CLXXXVIII
EXPENSVS

DISPV TATIO

QVAM
PRAESIDE

IO. CHRISTIANO WERNSDORFIO

SERENISSIMI BRVNOVIC. AC LVNEBV RGENS. DVCIS
CONSILIARIO AVL. ELOQV. ET POES. PROF.
PVBL. ORD.

ORDINIS SVI H. T. DECANO

IN IVLEO MAIORE

A. D. XXV IVL. MDCCLXXXVI

PVBLICE DEFENDET

ERNESTVS LVDOVICVS AVGVSTVS EISENHART

HELMSTADIENSIS
IVRIVM CANDIDATVS

HELMSTADII

EX OFFICINA MICH. GVNTH. LEVCKART ET FILII

~~7, 315~~ 4
4122.
1786, 4


Handwritten marginalia on the left edge of the page.

84



KÖN. BIBL.
DER
UNIVERS.
HALLE.





DE
PIGNORIBVS IMPERII
ROMANI

I.

Vt omnibus hominibus naturalis inest uitae et perennitatis amor, ita integras gentes accepimus non alia re magis, quam antiquitate originis, diurnitate imperii, et spe aeternitatis gauisus esse, eamque spem ut apud suos alerent et confirmarent, nulla non arte, quam uel religiones suae, uel antiquarum rerum memoria suppeditaret, usos esse. Cum regnis et ciuitatibus recte existimarent stabilitatem nutu et consilio diuino dari, hinc quae sub initia imperiorum uel diuinitus data essent, uel aliunde sibi contigissent signa, accommodata ad aliquam futurae perpetuitatis significationem, ea et annotare diligenter, et interpretari ad utilitatem suam, serua- reque ita ad memoriam cultumque posteritatis solebant. Nulla fere gens uel res publica paullo celebratior est ueteris memoriae, quae non aliquam opinionem habuerit fortunae suae diuinitus constitutae, atque uel omina et auguria sibi data, uel pignora adeo fatalia habere crediderit, *) quibus sibi futura diutur-

*) Eiusmodi pignora uel arcana regnorum uetus et mythica historia exhibet Palladium Troiae, crinem Nisi purpureum Megarum, arietem aurei coloris Argorum, de quibus passim poetae. Quin Hierosolymae et Iudaeis Romani arcanum affinxerant, uitam auream, quam

diuturnitas promitteretur. Romani autem quae eiusmodi auguria uel pignora habuerunt, quum maxime admirabilia et ueterum monumentis celebrata sint, propter summam imperii eorum dignitatem et amplitudinem, de iis sermonem instituemus in praesenti, ut eorum rationes uariasque de iis opiniones excutiamus.

II.

Auguriorum quidem et omnium, quae Romanis contigisse dicuntur, ut pauca exempla ponamus, ex augurio urbis condendae, quod in monte Palatino captauerat Romulus, Romani urbis et imperii sui, saecula praeslituta arbitrabantur, et inuentus quondam Romae est Vettius, in augurio non ignobilis, qui diceret, si ita esset, ut traderent historici, de duodecim uulturibus a Romulo uisis, quoniam CXX annos incolum praeteriisset populus Romanus, ad mille et ducentos peruenturum. a) Nec uanum plane augurem hunc fuisse, et, quod ille praedixerat, euenisse sub Valentiniano III, uiri praecleari eorum temporum crediderunt, qui putarent, cum Aetium, fortissimum uirum, qui tutela imperii et terror hostium fuerat, amens Imperator in Palatio trucidasset, ipsum Occidentis imperium cecidisse. Casp. Barthius b) hoc insignibus locis Sidonii Apollin. c) et Marcellini Comitis d) probat. Aliud omen, quod Romani ceperant, magnitudinis et aeternita-

quam Pompeius, templum iure uictoriae ingressus, uidisse dicitur, apud Florum, *lib. III, cap. 5*. Nempe uitem auro caelatum ibi intelligendam esse defendit Bergerus, *diis. de Pompeio Hierosolymario, §. 7*. Vitemb. 1742.

a) Cenforinus *de die nat. cap. XVII extr.*

b) *In comment. ad Claud. de bello Get. u. 265. pag. 326.*

c) *In paneg. Auiti, Carm. VII, u. 357, sqq.*

d) *In Chronico, Aetio et Studio Coll. A. V. 1206, qui est Christi 455.*

tis suae, breuiter uerbis Flori e) referemus: Quum inaugu-
raretur Capitolium, cedentibus caeteris deis (mira res dictu)
resistere Iuuentas et Terminus. Placuit uatibus contumacia
numinum. Siquidem firma omnia et aeterna pollicebantur. f)
Sed illud horrendum, quod molientibus aedem, in fundamen-
tis humanum repertum est caput. nec dubitauere cuncti, mon-
strum pulcherrimum imperii sedem, caputque terrarum pro-
mittere. g) His auguriis aeternam fore Romam, eundemque
imperii eius, quem uniuersi, finem futurum esse, sibi persua-
debant Romani. Qua in sententia historici poetaeque Romani
innumeris fere locis exsultant. Sigillatim autem Capitolii fa-
tum ita alligatum imperii sui fato putabant, ut hoc, nisi illo
diruto, non interitum crederent.

III.

Sed de pignoribus imperii, quibus gloriabantur Romani,
nunc praecipue agimus. Quo nomine appellabant sacra quae-
dam, secreto in penetrali condita, quae concessa sibi a Diis pu-
tabant hoc fato, ut quamdiu ista seruata essent, incolumis ipsa
maneret respublica. Primario quidem perpetuoque his ac-
censebant *Palladium* et *ancilia*, quae diserte Florus h) *secreta*
imperii pignora uocat, et Liuius *fatale pignus imperii* Palladium
cum aeterno igne Vestae. i) Quae uero de eorum origine et
religione apud Romanos tradita creditaque sint, quoniam haec
decantata prisca et recentibus scriptoribus et in uulgus nota
res est, nunc non allaboramus latius exsequi; hoc tantum no-
tamus, uideri proprie imperii pignora uocata, in quibus haec

A 2

tria

e) *lib. I. cap. VII.*f) *Conf. Liu. lib. I, c. 55. et lib. V, c. 54 extr. Ouid. Fast. II, u. 667. seq.*g) *Conf. Liuius l. c. Dionys. Halic. lib. IV, cap. 59.*h) *Lib. I, cap. 2. Sigillatim de ancili Ouid. Fast. III, 346. 379.*i) *Liuius V, 52. XXVI, 27. Ouid. Fast. VI, 445.*

tria obseruata essent: 1) arcana diuinaque origo, ut diuinitus tradita, in ipsis rei publicae initiis, crederentur: 2) cum oraculo uel responso diuino, saluam fore, his saluis, rempublicam: 3) ut secreto religioseque asseruarentur, nemini noscenda aut tractanda temere. Nonnullae tamen res sacrae subinde ad pignora imperii relatae sunt, quod ad istorum dignitatem uiderentur usu et religione accedere, licet non pari iure illud nomen mererentur. Sic Rutilius Numatianus k) libros Sibyllinos uocat *aeterni fatalia pignora regni*, quod et hi concessi seruandae rei publicae causa dicebantur, et religiose asseruandi erant. Praeterea Lampridius l) ait, pari loco et ueneratione, ac Vestae ignem, Palladium et ancilia, apud Romanos fuisse typum Matris Deum. Quo nomine non imaginem aliquam Matris Deum significat, sed formae materiaeque ignotae signum, quo olim Cybelen apud Pessinuntios cultam Romani inde aduexerant, accepto responso, mansurum imperium atque ad summum auctum iri, si Deam Pessinuntiam ad se transferrent. m) Lapidem nigellum appellat Prudentius, et muliebris oris figura argentea inclusum fuisse memorat. n) Causa autem Matris Deum praecipue uenerandae Romanis, praeter oraculum, erat origo a Troianis, apud quos cum olim eximie culta esset, tum Romanorum, ad quos transfisset, imperium singu-

k) *Itin. lib. II, u. 55.*

l) *In Anton. Heliog. cap. 3: Heliogabato templum fecit, studens et Matris typum et Vestae ignem, et Palladium et ancilia, et omnia Romanis ueneranda in illud transferre templum.*

m) *Liuius lib. XXIX, u. Herodian. hist. lib. I, cap. u.*

n) *Perist. X, 156.* Hoc latius explicat Arnobius *lib. VII, p. 255*, et dicit, fuisse lapidem non magnum, coloris furi atque atri, angelis prominentibus inaequalem, qui in signo Cybeles sit oris loco positus, indolatus et asper, et simulacro faciem minus expressam simulatione praebens.

singulariter tueri credebatur. Hinc Tertullianus o) Cybelen adamare urbem Romam dicit, ut memoriam Troiani generis, et Cicero affirmat, p) Romanos imperatores in periculossimis bellis Matri Deum fecisse uota, et in ipso Pessinuute ad eius principem aram perfoluisse. Ex his rebus apparet quidem, typum Matris Deum pari fere ueneratione, ac Palladium, a Romanis cultum esse, sed tamen pignoribus minus accurate accenseri, quod iussa quidem oraculo eius typi translatio, ut possiderent et colerent Romani, nec tamen ita iussa, ut in arcanis et secreto asseruandis haberetur.

IV.

Quum antiquiores scriptores Romani uix alia imperii pignora, quam quae nominauimus, memorent, certe nomina eorum et numerum edere nunquam ausi sint, mirum in modum hic turbat Seruius Grammaticus, q) qui integrum ueluti recensum eorum agens plura huc refert, ignota et indicta aliis. *Septem*, inquit, *fuerunt pignora, quae imperium Romanum tenebant, acus Matris Deum, quadriga sacralis Veiorum, cineres Orestis, sceptrum Priami, uelum Ilionae, Palladium, ancilia.* r) Quae quoniam partim obscura, partim falsa, uel admodum dubia uidentur

A 3

o) *Apolog. cap. 25.*p) *Orat. de harusp. resp. c. 13.*q) *Ad Virg. Aen. VII, 188.*r) Mendose et uarie turbata haec uerba Seruii adducunt Gutherius *de uet. iure Pontif. lib. I, c. 11.* Freinfhemius ad *Florum, lib. I, cap. 2.* Rycquius *de Capitol. cap. 19,* et fortasse alii; sed emendatius, atque ut nos dedimus, Gesnerus ad *Claud. XXVI, 103.* Lectio, quam Seruii exemplaria tenent, *Septem fuerunt paria,* facillime optimeque emendatur per *pignora,* quod et similitudo litterarum admittit, et ipsa sententia poscit. Vir doctus, qui libro Rycquii de Capitolio observationes apposuit, legendum censet *fata,* quod ad sensum idem, sed dissimilius mendosae scripturae est.

dentur esse, et nonnulla explanatione indigere, accedamus ad eam rem, et, quae Grammatici talia memorantis mens sit et auctoritas, uideamus. Plane id quidem mirari non debemus, autum esse Grammaticum ita augere numerum pignorum imperii, ut notis illis et celebratis, Palladio et ancilibus, alia, praeiis quidem ignota et inaudita, adderet. Nam praeter ista in ipso penetrali Vestae extitisse alia, quae pro sacris et arcanis haberentur, uulgo incognita, fama antiqua inter Romanos tulit. Dionysius Halic. s) confirmat, praeter ignem sacrum in templo Vestae seruatum, omnibusque conspicuum, alia ibidem sacra esse, plurimorum quidem sermone uulgata, sed nemini conspecta, solisque Pontificibus et Vestalibus cognita, ad quae ipsum refert Palladium, siue signum Mineruae. Plutarchus, t) eandem de sacris illis opinionem professus, adiicit, qui maiorem earum rerum notitiam habeant, affirmare, reposita in templo Vestae duo dolia non magna esse, quorum alterum apertum et inane sit, alterum plenum et consignatum, utrumque uero solarum Virginum sacrarum oculis permissum. Ea fama uel suspicio de doliis in templo Vestae seruatis aliquando cupiditatem et uesaniem Heliogabali Imper. accendit, quam commemorat Lampridius. u) Nam cum sacrum penetrale, h. e. in penetrali Vestae secreto asseruatum, auferre conaretur, feriam dicitur quasi ueram rapuisse, quia Virgo maxima falsam monstrauerat, et cum nihil in ea reperisset, applosam fregisse. Seruius contra felicius uidetur arcanorum indagator fuisse, qui quasi plenum illud sacrorum et consignatum dolium, e penetrali Vestae ablatum, aperuisset, tanquam e cornu Amaltheae nobis opes sacrarum rerum affundit, quas nemo ante eum cognoue-

s) *Antiq. Rom. lib. II, cap. 66.*

t) *In Camillo, cap. 20.*

u) *In Heliog. cap. 6.*

gnouerat. Dabimus operam, ut primo, quas ille res, et qua ratione, pro pignoribus imperii uenditet, inquiramus, deinde, an uera tradiderit Seruius, dispiciemus. De Palladio quidem et ancilibus, quoniam haec confessa et indubitata sunt imperii Rom. pignora, iam supra significauimus nihil nos hoc loco dicturos esse. Igitur reliqua, quae Seruius iis adiungit, confideremus.

V.

In *acu Matris Deum*, quam Seruius profert, minime quidem miramur Matrem Deum ad tutelares Romanorum Deos referri. nam eius sacra peculiariter expetita et Romam delata esse, supra obseruauimus. Sed acus illius, leuis et exilis instrumenti, quae uis, aut quod meritum esse potuerit, ut peculiaris Deum Matri haberetur, singularique in religione esset, merito quaeratur. Illud quidem uix dubium est, signum aliquod aut instrumentum ipsius cultus indicari, quo Matrem Deum prosequerentur Romani, ratio tamen, cur acus nominetur, cum ualde obscura, nec ab alio scriptore memorata sit, de ipsa uoce adhuc dubitandum uidetur, sitne ea genuina arcani illius appellatio, an pro mendosa uoce aliud et rectius uocabulum substituendum. Duplex igitur uia et ratio explicandi illius arcani tentari potest; una quidem, quae uocem acus retineat, eiusque significationem uerisimilem ostendat; altera uero, quae mutata uoce, et simili substituta, aliam rem sacram indicari confirmet.

Notissimus in Cybeles sacris mos fuit, ut sacerdotes eius sibi brachia cultris aut securibus cruentarent, et Prudentius x) auctor est, initiatos eius sacris acubus ignitis compunctos et stigmatibus signatos esse. Similia fere in sacris Bellonae obseruata esse constat, nec defunt propterea, qui idem numen, ac

Cybe-

x) *Periiseph. X, 1077.*

Cybelen, existiment. Bellona, si Hygino credimus, y) ipsam acum, ex eaque suum nomen inuenit, quod acus Graecis *βελώνη* dicitur, et par ratio nominis Cybeles affertur a quibusdam, qui id deductum a *κύβηλις* uolunt, quod glossae machaeram uel securim interpretantur. z) Et Bellonae sacerdos in monumento, quod Ant. Fr. Gorius a) publicauit, securim manu gestat. b) Permutato igitur, quod uidemus, inter Cybelen et Bellonam nomine et instrumento sacrorum, cum quod alteri diserte tribuitur, utrique commune uideatur, non mirum est, acum Matris Deum pro sacro eius instrumento nominatam. Et fortasse a Seruio non *acus*, sed *ακίς Matris Deum* scriptum est, ut ipse cultellus acutus, quo sacerdotes eius utebantur, intelligeretur. Quo pacto credibile est, acus illius uel *ακίδος* uocabulo ipsum sacrum Matris Deum significari.

Acus in mundo et supellecili mulierum et Dearum erant, sicut pestines, specula, zonae, monilia; erantque acus modo figendis continendisque capillorum cincinnis, modo crinibus discriminandis et a fronte diuidendis aptae, unde acus crinales et discriminales dictae. c) Quibus ornamentis incedere nobiles feminae solebant, his etiam indui Iunonis, Veneris aliarumque Dearum simulacra; et erant superstitiosae mulieres, quae singularem colendae Deae rationem obseruarent, ut Iunoni et Mineruae capillos disponere, et speculum tenere, ornatum modo gestuque, simularent; d) imo fuisse etiam

y) *Fab.* 274.

z) Vid. Hesychius u. *αβηλις*, et Rhodiginus *lect. antiq. lib. XVIII*, 17.

a) *Ad inscript. antiq. Donii*, pag. 135.

b) Et apud Tibull. *Eleg. I, 6, 47*, Bellonae sacerdos bipenne caedit lacertos suos.

c) Distincte eas exposuit Casp. Bartholinus, *de inaur. vet. cap. 2, p. 35*.

d) Seneca, libro de superstitionibus, apud Augustinum *de Civ. Dei lib.*

IMPERII ROMANI

etiam certas Dearum, ut nobilium feminarum, ornatrices, quasi sacerdotes, quae ornando Deae simulacro operam darent, ex Hesychio uidetur colligendum, qui Iunonis ornatricem nominat. e) Itaque etiam in Matris Deum ornatu et instrumento forsitan acus fuit, quae singulari in honore esset, et cum acurinali haud raro mulieres saeuientes pro instrumento uterentur, quo brachia eorum, quibus irascerentur, uulnerarent, f) fortasse acus Matris Idaeae dicebatur cultellus, quo Deae sacerdotes conuulnerare brachia solebant, quod formam acus Deae suae referret. Certe in monumentis, Matris Deum initia significantibus, quae Laur. Pignorius explicauit, g) occurrit figura gladioli cum manubrio uel uagina, forma recurua et a summo inflexa, qualis fere acus crinalis est, a Bartholino et ipso Pignorio h) prodita.

Neque uero praetereunda acus est, quae polymitis conficiendis inferuebat. Artem autem nendi pingendique acu Phryges inuenisse dicuntur, i) atque inde, qui eam artem exercebant, *οἱ Βελδοσκοιδται*, phrygiones, et uestis picta phrygia appellata

lib. VI, cap. 10: Sunt, quae Iunoni ac Mineruae capillos disponant, longe a templo, non tantum a simulacro, stantes, digitos moueant ornantium modo: sunt, quae speculum teneant, caet. Alios locos Senecae et Apuleii eam in rem adduxit Spanhemius comment. ad Callim. hymn. in Pall. u. 21. pag. 620.

- e) Hesychius u. *Σαρραχρηα*. De ornatricibus feminarum in primis uidendi Pignorius de seruis, p. 191, sqq. Reineshus epist. XXXV ad Hofm. p. 260, sq. Gorius ad Columbar. Liu. p. 129.
- f) Ouid. *Am. I, 14, 18: Brachia derecta saucia fecit acu.* Conf. Apulei. *Metam. lib. VIII, p. 161.* edit. Pric.
- g) *Tomo VII. Thes. antiq. Graec. Gronou.*
- h) Barthol. *de inaur. l. c. Pignor. de seru. p. m. 200.*
- i) Plin. *H. N. VIII, 48.*

B

pellata est. k) Fortasse Cybele, quae et ipsa Dea Phrygia dicitur, arte acu pingendi uel inuenta, uel ualde exercita, olim apud Phryges clara fuit, siquidem nec alias Deas texendi et acu pingendi labor dedecere uisus est, l) atque hinc acus Cybelae tanquam principi artis tributa, et ad memoriam sacra et religiosa est habita. Verisimilitudinem aliquam huic sententiae adstruunt *Cybeles aulaea*, a Iuuenale nominata, m) quibus indicat in ludis Megalensibus Matris Deum maxime usum fuisse aulaeorum, propterea quod operis phrygii, quo picta aulaea erant, initia ad Cybelen referenda uiderentur.

Diffiteri autem, his expositis, non possumus, siue illa Matris Deum acus, quam Seruius sacram fuisse Romanis dicit, crinalis intelligatur, siue polymitaria, mirum omnino uideri, quod in frequenti sacrorum Matris Idaeae, apud Romanos cultae, commemoratione, nemo alius scriptor asseruatam eius acum prodiderit, nec apparere, quae ratio fuerit, cur a Romanis non sacra modo, sed et pro pignore imperii haberetur. Quare se-
re in eam sententiam propendemus, ut statuamus, Seruium scripsisse non *acus*, sed *agrus Matris Deum*. Scilicet Arnobius memorat, n) in Phrygiae finibus inauditae uastitatis petram ab indigenis *Agdum* appellari; ex ea lapides sumtos, quos Deucalion et Pyrrha in orbem mortalibus uacuum iactauerint, atque ex iis etiam Magnam Matrem informatam et animatam diuinitus. Iam illud notissimum est, Matrem Deum Romanis cultam in simulacro lapidis nigri e Phrygia transfueto esse, o) quem

k) Nonius Marc. *de propr. serm. cap. I, num. 10.*

l) Claudianus *de R. Prof. I, 245 sqq.* Proserpinam textentem pingentemque facit. Et de Minerua uulgatum est.

m) *Sat. XIV, 263.* Idem innuere uidetur Iuuen. *Sat. VI, 69.*

n) *Adu. gent. lib. V, p. 158.*

o) *Liuius XXIX, 11.*

quem quotannis uehiculo impositum Almone fluuio lauare sacerdotēs sollempniter, et cum magna congratulatione populi referre in urbem solebant. p) Et Lampridius, ubi *Matris typum* nominat, q) nihil aliud, quam illam lapideae molis effigiem intelligit. Qui quando eum inter sacra, Romanis maxime ueneranda, refert, Seruius eandem opinionem secutus inter imperii pignora retulit, sed agdum Matris Deum appellauit, proprio eius lapidis uocabulo, quod ortus a magno illo Agdo Phrygiae putaretur. Dudum in hac sententia fuit Th. Reinesius, r) qui cum *Abadir* uel *Agadir* lapidem, quem Isidori glossarium nominat, et *Agdum* Arnobii eundem esse putat, tum etiam significare Deam ait, cultam in simulacro lapidis nigri e Phrygia Romam transfueto. Sed monente Gifb. Cuperō, s) male Reinesius Abadir cum Agdo confundit, neque *abadir* temere in *agadir* mutandum est, quem lapidem Priscianus constanter Abadir uocat, atque eo nomine lapidem dictum perhibet, quem Saturnus dicatur a Rhea porrectum deuorasse pro Ioue, quemque Graeci *Βαίρυλον* uocent. t) Etsi hic Abadir uel *Βαίρυλος* fortasse occasionem pluribus fingendis lapidibus religiosis dedit, passim pro Deo cultis, quos idcirco *lapides Dios* et *λίθες ἐμψύχες* appellabant, u) cuius generis etiam haberi potest lapis, in quo culta est Cybele; at diuersa tamen nomina Abadir et Agdus sint, necesse est, quoniam ille lapis

B 2

pro

- p) Valer. Flacc. *Argon. lib. VIII*, 239. Prudent. *Perist. in Romano*, u. 156 sqq.
- q) *In Heliogab. cap. 3*.
- r) *Var. lect. lib. III*, c. 17. p. 637.
- s) *In notis ad Laëtant. de mort. persf. p. 157*. quo loco de lapidibus, imo montibus, uarias apud gentes pro Deo cultis copiose disputat, ut nemo alius.
- t) Priscianus *lib. V*. p. 647, edit. Putsch. Hefychius u. *Βαίρυλος*.
- u) Lampridius *in Heliogab. cap. 7*, et Salmasius ad eum locum.

pro Ioue a Rhea Saturno datus, ex hoc ipsa animata Rhea uel Cybele dicitur. Quamquam hoc ipsum fati causae est, cur lapidem, Cybeles signum, agdum a Seruio nominatum putemus.

VI.

Quadrigae fœtilis Veiorum non obscura est memoria. Auctore Plutarcho x) Tarquinius, qui postea depulsus imperio est, currum figulinum, fastigio Capitolii ab se aedificati imponendum, opificibus quibusdam Veientibus locauerat. Quadriga illa, cum figuratam Tusci immisissent in fornacem, in tantam creuit molem, ut uix eximi deiectis fornacis parietibus posset. Id prodigium uatibus interpretantibus, magnam ei ciuitati potentiam portendere, in qua ea quadriga esset, Veientes repetentibus Romanis non reddendam statuerunt. Pomp. Festus bello recuperatam a Romanis dicit: y) Plutarchus reditam mox a Veientibus, portento alio interueniente percussis. Nam instituto Veis certamine ludicro, is qui quadrigis uicerat, Ratumena nomine, subito consternatis equis abreptus, et effuso cursu Romam delatus, iuxta Capitolium ad portam, quae inde Ratumena uocata est, excussus curru est. z) In his igitur quadrigis augurium factum futurae magnitudinis Romanae uidemus, sed easdem pro pignore imperii concessas Romanis et ab iis diu sancteque asseruatas esse, nemo scriptorum Romanorum asseruauit. Quid? quod fœtilis eiusmodi cursus, imponendus fastigio Capitolii, omniumque non modo oculis, sed et aëris tempestatisque iniuriis obiectus, minime aptus erat pignori imperii constituendo, cuius haec natura et ratio erat, ut secreto conditum et custoditum, hominumque conspectui

x) In *Poplicola* cap. 13. Cui add. Plin. *H. N. lib. XXVIII, c. 2, sêct. 4.*

y) In *Ratumena.*

z) Plutarchus *l. c.* Plin. *lib. VIII, 42, f. 65.*

spēctui subtractum, crederetur magis, quam cerneretur tutela esse imperii.

VII.

Cineres Orestis quod pignoribus imperii accensentur, mira est sapientia Grammatici. Etenim nemini unquam scriptori ueteri tale quid in mentem uenit, et si quispiam memorasset, quid tamen Orestes pertineat ad Romanos, nemo facile perspiceret. Cineres Orestis in Graecorum historiis dicuntur Spartanis fuisse pro pignore felicitatis. Herodotus refert, a) responsum oraculo Lacedaemoniis fuisse, tum eos uictores Tegeatum futuros, si ossa Orestis, Agamemnonis filii, referrent. Quae cum postea apud Tegeam Arcadiae inuenisset Lichas quidam Lacedaemonius, fraude ab eo Spartam ablata effecerunt, ut Spartani semper uictores contra Tegeatas essent. Cum Herodoti narratione conuenit Pausanias; b) Romani scriptores, ut Plinius, Gellius, Solinus, haecenus tantum inuenta Orestis ossa referunt, ut tanquam exemplo probent, priscis hominibus maiorem corporis amplitudinem fuisse. Nam ossa eius iussu oraculi resossa dicunt impleffe longitudinem septem cubitorum. c) Fuit id quidem opinione plurium gentium receptum, ut in pignoribus et praesidiis publicae felicitatis ponerent, habere apud se conditorum suorum aut principum uiuorum cineres. Zoroastris cineres a Persis, tanquam pignus mansuri apud se imperii seruatos et cultos esse, Suidas ex antiquo scriptore refert. d) Pausanias memorat, e) Thesei ossa

B 3

oraculi

a) *Lib. I, cap. 68.*b) *In Lacon. cap. 3.*c) *Plin. lib. VII, c. 16, f. 16. Gellius III, 10. Solinus cap. I, pag. 7. edit. Salm.*d) *Suidas sub Ζωροάστρης.*e) *In Lacon. c. 3.*

oraculi monitu Athenas perlata felicitatem Atheniensibus attulisse. Ipsi Romani in Quirini, conditoris sui, ossibus religiose seruandis praesidium salutis publicae ponebant. Quippe Claudianus f) praeter *delubra Numae*, h. e. Vestae a Numa condita, inter arcana imperii Romani *sedem Quirini* refert, pariterque Lucanus g) *rapti secreta Quirini* nominat, quibus nihil aliud, quam ossa et cineres Quirini in templo eius condita, intelligunt. h) Scilicet Romulum quia Romani uolebant inter Deos relatum credi, sepulcrum eius templo occluso, quod nunquam liceret patefieri, ut Acron scholiastes Horatii tradit, i) seruabant, ne aperto eo commotisque cineribus numinis eius admiratio imminui uideretur. Hinc inter ultima captae exciliaeque urbis dedecora Horatius k) dissipata ab hoste barbaro Quirini ossa refert:

*Quaeque carent uentis et solibus ossa Quirini,
(Nefas uidere,) dissipabit insolens.*

Quodsi autem Romani cineres conditoris sui apud se seruauerunt, quae causa eos mouerit, ut cineres Orestis habere secum, tanquam pignus imperii uellent, qui nihil ad se pertinerent? Lacones expetebant et seruabant, quod Orestes apud eos regnauerat, l) et exemplum diuturni felicisque imperii inter Graecos fuerat. Quippe Velleius m) uixisse eum annis XC, regnasse LXX memorat, et Strabo tradit n) liberos eius Lesbum insulam

f) *De bell. Get. u. 100: Procul arceat altus Iupiter, ut delubra Numae, sedemque Quirini Barbaries oculis saltem temerare profanis Possit, et arcanum tanti deprendere regni.*

g) *Phars. I, 197.*

h) Si quidem et sepulcra sedes dicuntur. *Virg. Aen. VI, 328: quam sedibus ossa quierunt.*

i) *Ad Epod. XVI, 13.*

k) *loc. cit.*

l) *Pausan. in Lacon. c. 16.*

m) *Lib. I, cap. 1.*

n) *Lib. XIII, p. 582.*

insulam et uicinam continentem Asiae, siue Aeolidem, occupasse, atque adeo Graecorum arma et nomen late propagasse. Romani contra non eo in honore Orestem habere, neque inter auctores imperii sui referre poterant, ut eius ossa requirerent. Neque ullus scriptoris antiqui Romani locus ostendi potest, qui eum in Italia mortuum sepultumque testetur. Constabat, Orestem mortuum esse in Arcadia, ut Strabo et Stephanus Byzant. memorant; o) qui autem ossa eius Romam translata narrant, duo soli recentes scriptores sunt, iique ualde dubiae auctoritatis, Hyginus, p) et, qui hunc ad uerbum exscripsit, Seruius. q) Hyginus autem non is scriptor est, qui uulgo putatur, Augustae aut Tiberianae aetatis, sed Graeculus aliquis recentior, quem alius quis parum peritus interpres latine conuertit, ut ipse sermo eius, Graecitatem ubique redolens, abunde edocet. Ambo igitur his uerbis narrant: *Orestis ossa de Aetolia Romam translata sunt, et condita ante templum Saturni, quod est ante cliuam Capitolinum, iuxta Concordiae templum.* Huius narrationis prorsus mirabilis non alium fontem reperimus, praeter eam, quam ipse Hyginus et Seruius antecedentibus uerbis produnt, famam, qua ferebatur Orestes, qui accepto oraculo curandi furoris causa, cum amico Pylade Colchos petierat, et in Tauricam regionem adueniens, ubi Iphigenia soror, Dianae sacerdos, secundum statutam consuetudinem humano sanguine numen placabat, ipse ut aduena immolandus erat, a sorore agnitus et liberatus, occiso Thoante rege, Dianae Tauricae simulacrum abstulisse, in Italiamque delatum in nemore Aricino Dianae sacro collocasse. r) . At neque haec fama satis antiqua,

et

o) Strabo loco iam cit. Stephan. in *Ὀρέστου*.

p) *Fab. CCLXI.*

q) *Ad Virg. Aen. II, 116.*

r) Haec Hyginus et Seruius locis cit. quibuscum conuenit Scholiast. Horat. *ad Carm. I, 7, 10.* Seruius eadem repetit *ad Virg. Aen. VI, 136.*

et grauibus auctoribus suffulta uidetur. Strabo enim, s) ubi de fano Dianae Aricinae loquitur, famam esse dicit, ibi Dianae Tauricae sacrorum quaedam similia constituta, certe barbaricum et Scythicum morem apud illud fanum obtinere: Orestis, qui simulacrum eo detulerit, nullam mentionem iniicit. Etiam Valer. Flaccus, ubi futurum dicit, ut Diana Taurica Ariciam in Italiam transferatur, solam similitudinem Scythici illius et Nemorensis ritus respicit, nec Orestem auctorem, quod facile poterat, nominat. t) Imo alius, isque indigena, uidetur antiquis temporibus nominatus, qui signum illud Dianae posuerit. Pompeius Festus e prisco scriptore refert: *Manius Agerius Nemorenses Dianam consecrauit.* u) Et sane fama illa de Dianae Tauricae simulacro Ariciam delato uidetur a sola similitudine sacrorum profecta, quae Dianae Tauricae et Aricinae immolatione hominum, praesertim profugorum et aduenarum, fiebant. Quae tamen saeuitia non demum e Tauris petita, sed in ipsa Italia, interque Romanos, nata est. Constat, antiquitus ceruas esse Dianae immolatas, et tale sacrificium Dianae Aricinae factum esse, dubio caret. Romae autem ferui fugitiui uocabantur *cerui*, testante Festo, x) et cum nota

fit

s) *Lib. V. pag. 239.*

t) *Argon. II. 503.* Quae fortasse huc trahi possent dicta poetarum, Ouidii *Metam. XV, 489.* et Lucani, *VI, 74,* qui Dianam Ariciae *Oresteam* et *Mycenaeam* uocant, ea obscuriora sunt, nec Orestis ad Ariciam aduentum clare certoque significare possunt. Sic enim uocare Dianam, solita poetarum libertate, ut alii Tauricam et Scythicam, potuerunt, propterea quod Orestis Mycenaei facinus in ea auferenda celebratissimum erat, fortasse etiam Diana Mycenis ex instituto Orestis colebatur. Hinc etiam *Oresteam Deam* alio loco Dianam appellat Ouidius, *Pont. I, 2, 80,* ubi de Aricina non sermo est.

u) Sic scilicet e schedis et uett. editt. legit Scaliger ad Fest. *u. Manius,* cum uulgatae editiones habeant *Manius agrum Nemorenses Dianae consecrauit.*

x) In *Seruorum.*

fit dominorum Romanorum in seruos suos crudelitas, credibile est, eos mature hanc supplicii de fugitiuis suis sumendi rationem reperisse, ut quasi sacra facturi Dianae Aricinae mañtandos, tanquam ceruos, curarent. Et seruos immolari Dianae confueuisse, diferte Hyginus, cum eoq̃e Seruius, fatentur. y) Antiquiorum scriptorum, praesertim Graecorum, communis haec sententia est, Orestem simulacrum Dianae, cum Iphigenia sorore, detulisse in Graeciam, ubi quidem Athenienses et Lacedaemonij de eius possessione certabant. Isti Braurone in Attica ab Iphigenia depositum contendebant, hi idem esse ac Dianae Orthiae apud se cultae. z) Et Pausanias, qui haec memorat, alias etiam gentes Dianam Tauricam sibi uindicare ait, ut Cappadoces et accolae Ponti Euxini, item Lydios, qui Dianam Anaitida colebant. Braurone autem quod simulacrum fuerit, id a Persis Susa deportatum dicit, atque nunc Laodiceos Syriae habere dono Seleuci. a) Cum igitur tot in locis et ciuitatibus, ubi cultus Dianae uigebat, etiam signum Tauricae inueniri crederetur, facile omnino fuit Grammaticis, aut sciolis quibusdam hominibus, idem templo Aricino, propter ritus similitudinem, tribuere. Sed tamen apud Romanos Antoninorum tempore nondum hanc opinionem perccebuisset. colligi e Lampridii uerbis potest, qui haec de Heliogabalo Imp. narrat: b) *Lapides, qui diui dicuntur, ex proprio templo; Dianae*

y) *locis cit.* Postquam et hanc saeuitiam sequiorum temporum mansuetudo aboleuit, haec tamen mos sanguinis humani Dianae fundendi seruatus est, ut nemo sacerdos uel rex Nemorensis fieret, nisi perfuga, qui sacerdotem priorem singulari certamine superasset. Ouid. *A. A. I, 260.* Strabo *l. c.* Sueton. *in Calig. c. 35.* Ouid. *Fast. III, 271.*

z) Pausan. *in Att. c. 23. et 33. in Lacon. c. 16.*

a) Conf. Pausan. *in Arcad. c. 46.*

b) *In Heliog. cap. 7.*

C

nae Laodiceae (signum) ex adyto suo, in quo Orestes id posuerat, afferre uoluit. c) Nam si tum Romae peruulgatum fuit, Dianae Aricinae signum esse illud ab Oreste e Taurica allatum, non potuit Heliogabalum cupido illius e Laodicea petendi incessere. Primum inter Romanos, qui Orestis factum in Aricia diserte laudarit, Solinum esse reperio, cuius haec uerba sunt: d) *Hoc in loco (Aricia) Orestes oraculo monitus simulacrum Scythicae Dianae, quod de Taurica extulerat, priusquam Argos peteret, consecrauit.* Qui Solinum sequuntur, recentiores sunt Grammatici, quos nominauimus, Hyginus, Seruius, et Acron schol. Horatii. e) Qui si ipsum Dianae simulacrum, ab Oreste delatum, inter pignora imperii retulissent, habuissent sane colorem aliquem, quo assertum hoc pingerent, cum in similitudine Palladii, quod Troia delatum pignus imperii habebatur, tum in plurium ciuitatum exemplo, quae signum Dianae Tauricae, tanquam tutelare numen, apud se habere gloriabantur. Nunc illi longius exerrant, et Orestis, qui illud detulit, cineres de Aricia

- c) Sic locum Lampridii emendandum legendumque censet Cuperus, in not. ad *Lact. de mort. pers.* p. 155. In uulgatis editionibus corruptiora uerba sunt.
- d) *Cap. 2. p. 10.* edit. Salm. Cluuerius quidem *Ital. ant. lib. III, p. 925*, priorem Solino Quidium *Trist. IV, 4 extr.* hoc satis clare innuere dicit, quando, memorata Orestis a sorore agniti liberatione, et ablatione signi, addit: *O utinam uenti, quibus est ablati Orestes, Placato referant et mea uela Deo!* Sed bene Cluuerius, quod tantum innuere dicit. Non enim necesse est, ut, qui se isdem uentis, quibus Orestes, auferri; in Italiam quidem, cupit, propterea Orestem ipsum in Italiam ablatum dicat. Nihil amplius, quam eandem felicitatem liberationis et fugae optat.
- e) Quamquam non constanter hanc opinionem tuetur Hyginus, et sub. 120 ex alio fonte narrat, Orestem e Taurica cum signo Dianae Mycenae peruenisse. Etiam Seruius secum pugnat, ubi ad *Virg. Aen. III, 331*, dicit, Orestem, post sublatum Dianae simulacrum Iphigeniam sororem in Atticam reduxisse.

Aricia Romam translato, dicunt pro pignore imperii Romani habitos, adeoque Orestem non solum uenisse Ariciam, et signum Dianae ibi collocasse, sed et ibidem mortuum sepultumque fingunt. Sed fingunt plane, atque ita significant, ut ex reliqua eorum narratione nulla ratio, cur ita statuatur, appareat. Dicunt Romanis sacrorum ab Oreste delatorum crudelitatem displicuisse, ideoque ad Laconas Dianam translata esse, ubi sacrificii consuetudo adolescentum uerberibus seruabatur. Mox subiiciunt, Orestis ossa de Aricia Romam translata esse, quasi cum Dianae simulacro, ab Oreste consecrato, necesse sit, Orestis mortui ossa mansisse Ariciae, usque dum Romam, ut Diana ad Laconas, transferrentur. Quam rem neque illi causa aliqua et occasione memorata uerisimilem efficiunt, neque ulla probatorum historicorum auctoritas confirmat, qui contra memorant, Orestem non solum in patriam cum signo Dianae rediisse, sed et mortuum in Arcadia, et Tegeae sepultum. Ipsum illud, quod sacrorum Dianae crudelitas dicitur Romanis displicuisse, efficit, ut Orestis ossa Romam translata minus credamus. Nam si sacra ab Oreste delata adeo auersati sunt, qui fieri potuit, ut ossa eius habere secum, imo in pignoribus imperii sui censere uellent? Sed apparet, totum illud de Dianae ad Laconas translatione commentos esse Grammaticos, ut e ficta assertaque Aricinae et Laconicae Dianae similitudine ipsi fabulam suam de Orestis ossibus conficerent. Nam uidemus, quod apud Laconas cum Oreste et Diana factum esse constabat, id totum a Grammaticis, nominum et locorum permutatione facta, ad Aricinos et Romanos transferri. Lacedaemone, ut Pausanias memorat, e) Diana Orthia, quo nomine ibi Taurica ferebatur, inde a primo eius inuentae tempore caede hominis, qui forte legebatur, culta erat, sed postea mitiore Ly-

C 2

curgi

e) In *Lacon. cap. 16.*

curgi instituto pro homicidio iuuenis ad aram eius cruenta flagellatus est. Similiter Grammatici affirmant sacra Ariciae Dianae crudelia Romanis displicuisse, atque adeo cum lenioribus permutata. Lacones, qui Taurica Dianae sacra acceperant, etiam Orestis ossa, in Arcadia sepulta, apud se ponenda curarunt, atque hinc Grammatici Ariciae Orestis ossa collocant, ubi consecratam ab eo Dianam credebant: mox de Aricia Romam transferunt, ut Spartam translata de Tegea Arcadiae dicebantur. Illud uero maxime mirandum, non solum translata Romam dici, sed etiam locum, ubi condita Romae sint, designari, nempe *condita ante templum Saturni, quod est ante cliuum Capitolinum* caet. Cuius rei, sane mirabilis, fides, nisi nos omnia fallunt, non in historia Romana aut in ullius auctoris testimonio, sed in sola sapientia Grammatici quaerenda est, qui ex aliqua Romanae antiquitatis male intellectae notitia ipse sibi rationem aliquam finxit, cur Orestis ossa Romae sepulta crederet. Constat Orestis cognomen familias quasdam illustres Romanorum gessisse, unde et feminarum nomen Orestillae. Clarus in primis est L. Aurelius Orestes, qui A. V. DCXXX e Sardinia, quam prouinciã quintum in annum obtinuerat, triumphauit. *) Imperatoribus, qui res praeclare gessissent; nonnullorum etiam posteris, eum honorem Romani tribuerunt, ut in urbe sepelirentur. f) Fortasse Orestem aliquem, illustrem Romanum, ita sepultum in Vrbe legit Grammaticus, et perperam de Oreste, heroe Graeco, cogitauit. Sed ecce aliam coniecturam, quae fortasse mentem Grammatici propius tangat. Festus dicit: g) *Argei loca Romae*

*) Liu. Epit. lib. LX. Plutarch. in C. Graccho c. 1. Aurel. Vict. de uiris illustr. c. 72.

f) Plutarch. in Quaest. Rom. Tomo VII Opp. p. 140. edit. Lips.

g) In Argea.

mae appellantur, quod in his sepulti essent quidam Argiuorum illustres uiri. Et Varro: h) *Argeos dictos putant a principibus, qui duce Hercule Argiuo uenerunt, et in Saturnia subsederunt.* Saturnia autem uocata est urbs antiqua, quae ante Romam fuit, eo loco, quo postea Capitolium Romae. Sic enim Festus: i) *Mons, qui nunc est Capitolinus, Saturnius appellabatur, quod in tutela Saturni esse existimatur. Saturnii quoque dicebantur, qui castrum in cliuo Capitolino incolebant, caet. k)* Ecce autem Hyginus et Seruius ossa Orestis condita aiunt ante templum Saturni, quod est ante cliuum Capitolinum, iuxta Concordiae templum, qui est ipse ille locus, qui Festo auctore olim Saturnius appellatus Argiuorum illustrium sepulcra tenuit. Et P. Victor l) templum Saturni et Concordiae, quibus monumentum Orestis apponunt Grammatici, regione Urbis VIII, in qua Capitolium, collocat. Qui igitur legerat Grammaticus, Argiuos illustres olim Romae sub Capitolio sepultos, satis iustam rationem sibi habere uisus est, cur ossa Orestis eodem translata putaret. Fortasse Orestae, nobiles et antiquae gentis Romani, olim inter Argiuos, qui in Italiam uenerant, fuerunt, atque ex Aricia, ubi primum subsederant, Romam migrarunt, locumque sepulturae sub Capitolio acceperunt, ut de Claudia gente memorat Suetonius: m) *Orta est, inquit, ex Regillis, oppido Sabinorum. Inde Romam recens conditam cum magna clientum manu commigravit, — agrum trans Anienem clientibus, locumque sibi ad sepulturam sub Capitolio publice accepit. Seruius, siue alius quis imperitus scriptor, quem secutus est, Argiuos olim Romae sepultos in Argeis audiuerat, et quoniam Orestem le-*

C 3

gerat

h) *Lib. IV de L. L. p. 14.*i) *In Saturnia.*k) *Praeter Varronem l. c. idem testatur Virgil. Aen. VIII, 357: Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit urbem: Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.*l) *De region. Urb. Rom.*m) *In Tiber. cap. 1.*

gerat post consecratam Ariciae Dianam Argos petiisse, et in Arcadia mortuum esse, perperam intellecto uocabulo Argeos Romae substituit, atque adeo mori Orestem Ariciae, eiusque ossa Romam transferri iussit.

Quem huic errori addidit alterum Seruius, de cineribus Orestis pro pignore imperii Rom. habitis, is ex eodem fonte manasse uidetur. Nam qui sciebat ossa Orestis, in Arcadia sepulti, ad Laonas translata propterea, quod responso oraculi pro pignore salutis publicae declarata essent, nunc in Argeis Romae ab se condita etiam uolebat pignoribus imperii Rom. accensere. Possent quidem Seruius tam turpis erroris aut inscitiae culpa quodammodo liberari, siquidem uerba eius sic accipere uelimus, ut scriptum ab eo non *tenerent*, sed *teneret*, atque haec eius sententia sit, pignora ab eo commemorata non tenere uel seruare imperium, sed alibi habita pro pignoribus nunc imperio Romano contineri. Quo sensu dicere potuit, cineres Orestis, qui Graecis olim pro pignore imperii erant, nunc Graecia a Romanis subacta ab ipso imperio Romano teneri. Sed tamen, ubi idem diserte asserit, ossa Orestis de Aricia Romam delata, facile uidemus, hoc eo consilio fieri, ut ossa Orestis pro pignoribus, quae imperium Rom. conferuent, habeantur, eumque in finem Argeam, siue Argolidem Graeciae cum Argeis Romae, et Arcadiae nomen cum Aricia, siue errore, siue studio, confundi.

VIII.

Progredimur ad *Sceptrum Priami*. Quod quidem si re ipsa seruarunt apud se Romani, facile apparet ratio, cur idem pro pignore imperii habuerint. Etenim quum posteros se Troianorum, Troianumque imperium ad se translatum existimarent, facile sibi persuadere potuerunt, cum sceptro Priami, tanquam pignore, ipsum se antiquum Troiae regnum tenere.

nere. Et in sceptro priscorum regum seruato quantum subinde praesidium regni posuerint gentes, Chaeronensium exemplum, a Pausania n) memoratum, docet, qui *σκήπτρον* religiose colebant, *δέρον* uocantes, quod Ioui dicebant a Vulcano fabricatum, et post a Mercurio Pelopi datum ad omnes eius posteros Atreum, Thyesten, Agamemnonem, per manus traditum, peruenisse. Apud Romanos uix alia sceptri alicuius religiosius seruati mentio, quam illius, quod ex templo Iouis Feretrii sumebant in foederibus faciendis ad sollennia iuris iurandi peragenda, teste Festo. o) Quod sceptrum utique Iouis Feretrii fuisse uidetur, ad iusiurandum propterea assumptum, quod Feretrius, quem nonnulli a feriundo uel percutiendo dictum putabant, p) idem fortasse Romanis fuit, qui Graecis Ζεὺς Ὀφειός, et, qui iurabant, sibi imprecari solebant, ut, si fallerent, Iupiter se sceptro suo feriret, ut hostem: q) quemadmodum et porcum ferire in foedere faciendis solebant lapide silice, r) qui item ex templo Iouis Feretrii sumebatur. Sceptri et tiarae Priami mentionem facit Virgilius, s) quae legati Aeneae regi Latino offerunt:

*Hoc Priami gestamen erat, quum iura uocatis.
More daret populis; sceptrumque sacerque tiaras.*

Et fortasse consulto poeta haec carmini suo intexit, ut opilionem, quae forte inter Romanos erat, fouere uideretur, sceptrum Priami Troja delatum ab Aenea in Latium, et a Latinis regibus ad Romanos peruenisse. Sed nulla alia eius asseruati

n) In *Bocot.* c. 40.

o) In *Feretrius.*

p) Propert. *IV*, 10, 46: *Causa Feretri, Omine quod certo dux ferit ense ducem.*

q) Quemadmodum apud Iuuenal. *Sat. XIII*, 92, periurus secum: *Isis et irato feriat mea lumina fistro.*

r) Vid. Liu. *lib. I*, c. 24.

s) *Aen. VII*, 247.

seruati memoria extat, et Seruii Grammatici sane audax commentum est, qui sceptrum illud inter arcana Romanorum fuisse solus affirmat.

IX.

Neque aliter existimare de *uelo Ilionae* possumus. Difficile intellectu est, quae caussa esse potuerit, ut uelum Ilionae in aliqua Romanorum existimatione esset, atque adeo pro pignore imperii haberetur. Obscura fere Ilionae memoria est, et multo magis eius ueli. Quae de Ilione nouimus, praecipua fere haec sunt ab Hygino t) et aliis memorata, fuisse eam filiarum Priami maximam, Polymnestori Thraciae regi nuptam, quae Polydorum fratrem pro filio educarit, et Graecis eius necem postulantibus seruauerit, maritum uero huius consilio occiderit: u) denique cum de parentum suorum acerbissimo casu audiisset, semet ipsam interfecerit. Videntur autem Grammatici, quae de fatis Ilionae narrant, pleraque ex tragoediis Graecorum, quae perierunt, hausisse, in quibus etiam fuerit, necesse est, aliqua ueli Ilionae mentio, quae memorabile illud redderet. Apud Romanos etiam extitit olim hoc nomine tragoedia Pacuuii, et Accii Ilione a Nonio Marcello x) laudatur. Sed his etiam perditis nullus hodie locus Romani scriptoris extat, unde, quodnam illud uelum Ilionae fuerit, et qua de caussa celebratum, intelligatur. Meminit quidem Ilionae Virgilius, y) atque inter dona Didoni missa nominat

— *sceptrum,*

t) *Fab. 109. 240. 243, et 254.*

u) Aliter Seruius *ad Virg. III, 15*, qui Polydorum a Polymnestore ex insidiis occisum refert, ipsum secutus Virgilium *Aen. III, 49* seqq.

x) *pag. 382 edit. Paris. u. Rimari.*

y) *Aen. I, 653.*

— *sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
Maxima natarum Priami;*

sed nulla ibi ueli mentio, ubi maxime locus et occasio eius nominandi erat. Itaque in eam opinionem deducor, ut putem, corrigendum esse nomen Ilionae apud Seruium, atque aliud notius celebratiusque Romanis uelum reponendum. Legere malo uelum *Iliae*, matris scilicet Romuli, quae sacerdos Vestae a Marte compressa ferebatur. Per uelum intelligo palam, uestem sacerdotis Vestalis, z) capiti inductam, cum infulis et uittis, quae et uelamenta dicuntur. a) Solent autem scriptores Romani crebro mentionem uittarum Iliae, ut sacerdotis Vestalis, iniicere, easque delapsas et iacentes memorare, ubi compressam a Marte, et matrem factam conditorum Romae narrat. Sic Tibullus: b)

*Te quoque iam uideo, Marti placitura sacerdos,
Ilia, Vestales deseruiss: focos:
Concubitusque tuos furtim, uittasque iacentes,
Et cupidi ad ripas arma relicta Dei.*

Ipsa Ilia apud Ouidium, c) iam grauida facta, narrat, quae somnians uiderit mutatae fortis suae argumenta:

Ignibus

z) Carbasum uocat Valer. Maximus *lib. I, cap. I, ex. 7.* qua amicta erat Virgo Vestalis. *Maximae*, inquit, *Virginis Aemiliae discipulam, extincto igne, tutam ab omni reprehensione Vestae numen praefuit;* qua adorante cum carbasum, quam optimam habebat, foculo imposuisset, subito ignis emicuit. Dionysius Halic. *lib. II, cap. 68,* scribit, fasciam uel laciniam uestis carbasinae abscissam ab Aemilia in focum proiectam esse. Hoc factum cum illustre exemplum seruati ignis aeterni et pignoris imperii fuisset, fortasse inde fama uulgata est, carbasum huc uelum Aemiliae ad miraculi istius documentum asseruatum esse, et Seruius, hoc repetens, *uelum Aemiliae* scribere uoluit pro *Ilionae*.

a) Tacitus *Hist. I, 66.* b) *Lib. II, 5, 53.* c) *Fast. III, 29.*

D

*Ignibus Iliacis aderam, cum lapsa capillis
Decidit ante sacros lanea uitta focos.*

Igitur fieri potuit, ut Grammaticus aliquis uittam uel uelum Iliacae ad memoriam matris Romuli, atque adeo originis Romanorum, inter arcana uel pignora imperii Rom. seruatum, siue e fama, quae uulgo illud superesse et custodiri ferret, siue ingenio suo proderet. Quem Seruius temere secutus est, licet nemo alius scriptor fide dignus uelum eiusmodi religiose seruatum tradiderit.

X.

Expositis igitur rebus, quas Seruius notis illis et celebratis imperii Rom. pignoribus annumerat, si de uniuersa eius sententia ferendum iudicium est, uix aliter possumus, quam falsissimam uanissimamque pronuntiare. Nominat res Romanis uenerandas ad salutis publicae conseruationem relatas, quae si tali in honore fuerunt, debuerunt saltem nomine tenus cognitae esse Romanis, et fama aliqua celebrari, et memorari ab historicis. Sed quae a Seruio memorantur, plane ignota sunt Romanis scriptoribus, neque ex fama publica, e sermone et opinione populi Romani sumta sunt, sed ingenio et obscura diligentia Grammatici conquisita, qui mythos et poëtas Graecorum magis, quam historias Romanas uersasse uidetur, et quae in iis arcana quarundam gentium legerit, cum quadam e-ruditionis et scientiae affectatione ad Romanos inepte transfudit. Maxime suspectam earum rerum fidem facit, quod a solo Grammatico traduntur, a nullo historico. Grammatici enim et scholiastae, qui in ueteres poëtas commentati sunt, etsi multa scitu utilissima, nec facile aliunde cognoscenda, ad poëtarum interpretationem attulerunt, nihilo minus tamen aliis rebus obscurioribus, uana doctrinae iactatione, ne parum scire uiderentur,

rēntur, fabulas et nugamenta alleuerunt, a quibus uix satis cauere possimus. Peritissimi rerum, quae apud ueteres poetas, eorumque commentatores, leguntur, quos ipsi assidue tractarunt, ex his folis fere sapiunt, alia ad ciuitatis mores et ritus, uel rem publicam spectantia, cuius ipsi nullum usum habuerunt, in umbraticis litterarum studiis senescentes, ignorant fere, aut si sciunt, tamen doctrinae interioris scientia inflati, pro uulgatis et notis malunt abstrusiora et ignota sectari. Hinc Seruius, siue quis alius est, quem excrispsit ille, Grammaticus, Graecis maxime litteris, ut uidetur, imbutus, ad implendum pignorum imperii, quem definire uolebat, numerum non, quae Romana antiquitas suggerere poterat, memorabilia, sed peregrina ex Graecis detorta congeffit. Certe Graecis tantum debentur, quae protulit, cineres Orestis, sceptrum Priami, uelum Iliadae. Ipse numerus, qui constituitur, septem pignorum uanam scioli et nugacis hominis diligentiam redolet, qui, quod nemini Romanorum in mentis uenerat, arcana imperii certa ratione definire, et quasi in tabula exhibere uoluit, et quoniam uulgo septem miracula mundi, d) septem maiora orbis terrarum imperia, e) septem montes Romae, septem reges Romanorum numerari uidebat, hinc ipse commodum existimauit, septem statuere pignora imperii Rom. Quod arcana uel

D 2

secreta

d) Plin. *hist. nat. lib. 36. cap. 5. n. 9.* Hyginus *fab. 223.*

e) Sic scilicet L. Ampelius, non melioris notae scriptor, in *libro memoriali. pag. 22. ed. Salm.* censet, qui septem haec imperia enumerat, Assyriorum, Medorum, Persarum, Lacedaemoniorum, Atheniensium, Macedonum, Romanorum. Studiose numerum septenarium in percensendis pignoribus imperii confectatum esse Grammaticum, uix dubitabit, qui, quantam huic numero uim et dignitatem, quod item sacramentum inesse ueteres philosophi et grammatici crediderint, non ignoret. Docet hoc e pluribus ueterum locis A. Gellius *lib. III, c. 10.* tum Petr. Petitus *Miscell. obseru. lib. III, c. 3.*

secreta ea existimari sciebat, id sine dubio audentiam fingendi, et secure mentiendi spem addidit Grammatico, ut arcanorum nomine luderet, et re ipsa arcana, h. e. ab omnium notitia remota, neminique audita proderet, minime quidem e secreto penetrari Vestae, quo alias recondita dicebantur, sed e scriniis suis et commentariorum thesauris prolata. Atque ex ipsis rebus, quas profert, satis intelligitur, quid Romani pignorum imperii nomine significauerint, parum eum perspexisse, tum uero antiquitatis Romanae tam fuisse uel imperitum uel negligentem, ut cum sacra ad Romanam rem publicam pertinentia facile proferre posset similia fere et paria his peregrinis et Graecis, quae protulit, tamen illis non uteretur. Proprie Romani pignorum nomine designabant, ut supra monuimus, res sacras diuinitus traditas, quibus seruatis fatum erat seruandam esse rem publicam, quorum duo sola, ut erant, profert Grammaticus, Palladium et ancilia. Sed praeter haec alia nonnulla memorat historia Romana, quibus tantummodo prodigium uel oraculum adiunctum fuit, futuram Romanorum felicitatem et potentiam significans: alia denique, quae uenerabilia ob solam uetustatem erant, ad memoriam conditorum maiorumue suorum honorandam. Vtriusque generis memorabilia pignoribus ueri nominis accensuit Grammaticus sine discrimine. Et quidem illius generis, quod prodigio uel oraculo insigne fuit, solam ex historia Romana quadrigam Veientium nominat, nisi pro acu Matris Deum silex Pessinunte delatus intelligendus est. Sed si illam uolebat ad pignora imperii referre, poterat alia eius generis ad implendum numerum ex historia Romana referre pari iure, ut Iuentatis et Terminum signa, quae in Capitolio inaugurando cedere noluerunt, ut caput humanum in fundamentis Capitolii repertum, et, quem praecipue hoc loco memorandum ducimus, lituum Romuli.

Romuli. Nempe Roma a Gallis deuaſtata, cum Pontifices loca ſacra exuſtarum aedium requiri et purgari iuſſillent, in loco curiae Saliorum lituus Romuli, quo ille regiones coeli definire in augurando conſueuerat, quemque ſacerdotes, ut rem ſacram, a contactu hominum ſeruauerant, ſub cineribus inuentus eſt integer, eoque omine aeternam fore Romam ſignificari putarunt. f) Ad alterum genus, quod reliquias et monumenta auctorum et principum gentis complectitur, referri poſſunt caetera a Seruio memorata, cineres Oreſtis, ſceptrum Priami, uelum Ilionae; ſed quis non uidet, horum loco potiora potuiſſe memorari, quae ipſos conditores Romae attinebant, et a Romanis religioſiſſime conſeruata ſunt, quamquam pignoribus imperii nunquam accenſita. Qui cineres Oreſtis tranſferebat Romam, poterat multo reſtius, imo debebat, Romuli, conditoris Romae, cineres religioſe ibidem cuſtoditos nominare. Et alia adſunt eundem ſpectantia, Caſa Romuli et Lupercal, quae monumenta erant Romuli nati et educati, ſtudioſiſſime culta et conſeruata Romae. Caſa, in qua Romulus habitaſſe credebatur, in ueteri Capitolio, humilis et ſtramentis teſta, tam diligenter et religioſe a Romanis ad ultima uſque imperii tempora ſeruabatur, ut, ſi quando tempeſtatis iniuria aut incendio laeſa eſſet, continuo reparandam et priſtinae formae reſtituendam curarent ſacerdotes, quibus id negotium datum eſſet, eamque ſua adhuc aetate extare teſtentur Macrobius et Hieronymus. g) Lupercal dicebatur antrum ſub monte Palatino, ubi Romulum et Remum dicebant olim

f) Cicero *de diuin. lib. I, c. 17.* Plutarch. *in Romulo c. 22.* et *in Camillo c. 32.*

g) Macrob. *Saturn. I, t. 15.* Hieronym. *in praefat. ad librum Didymi de Spir. S. Tom. IX. Opp. fol. 191, edit. Froben.* Loca ueterum plura, qui caſae Romuli meminerunt, dabunt Lipſius *not. ad Senecae conſol. ad Helu. cap. 9.* et Rycquius *de Capitol. cap. 44.*

olim expositos, uel a lupa nutritos a pastoribusque inuentos esse. h) Dionysius illud sua aetate adhuc uisi testatur, i) iuxtaque esse facellum, in eoque simulacrum lupae infantibus manibus praebentis, opus antiquum ex aere factum. Pro sceptro Priami aptius reipublicae Romanae erat sceptrum Iouis Feretrii, de quo superius egimus, aut hastam Martis, quem pro parente gentis suae habebant Romani, in sacris rebus numerare. Scilicet hastam in regia collocatam Romanos pro Marte coluisse Plutarchus, k) Clemens Alex. l) et Arnobius m) fide Varronis tradunt, nos putamus simul cultam esse ad memoriam originis Romanae et ortus Romuli, quia uulgatum erat, Martem armis sepositis et in ripa relictis ad Iliam uenisse. n) In sacris rebus et praefidiis reipublicae habitam esse, hoc maxime docet, quod ex hasta Martis omen capiebant futuri casus rei publicae. Nam si quando sponte mota esset, id triste portentum habebatur, sacrificiis expiandum, ut A. Gellius et Iulius Obsequens pluribus locis testantur, o) qui si plures hastas Martias nominant, significare uidentur, idem in hastis, quod in ancilibus, Martis factum esse, et plures ad similitudinem primae illius et uerae fabricatas, ne interfosci haec posset et furto auferri. Pro uelo Ilianae omnino Romana antiquitas uelum uel uittam Iliae suppedibat Grammatico,

h) Ouid. *Fast.* II, 421. Seruius ad *Virg. Aen.* VIII, 343.

i) *Antiq. Rom. lib.* I, cap. 79. p. 203. edit. Reisk.

k) *In Romulo*, cap. 29.

l) *In Protrepti*. p. 30.

m) *Adu. gentes lib.* VI, p. 196.

n) Vid. uersus Tibulli, quem supra adduximus, *lib.* II, 5, 56. Eodem respiciunt Iuuenalis uerba XI, 105: *Geminos sub rupe Quirinos, Ac nudam effigiem clypeo uenientis et hasta, Pendentisque dei.*

o) Gellius *lib.* IV, cap. 6. Obsequens, 96, 104, 107, 110. Alias ab Imperatore in bellum ituro hastam Martis motam esse, tradit Seruius ad *Aen.* VIII, 3.

matico, nisi hoc ipsum scripsit Seruius, uti coniecimus. Praeterimus alia monumenta, ad memoriam principum auctorumque imperii seruata, quae historia Romana fortasse sup-
 peditet. Quae quamquam inter pignora imperii nunquam
 relata sunt, poterant tamen a Grammatico, pro sensu latissimo,
 quem pignoris uocabulo tribuebat, non absurde referri, si qui-
 dem iusta antiquitatis Romanae notitia instructus Romanis re-
 bus uti sciisset pro alienis illis et Graecis, quae intulit. Sed
 Grammatici huius alucinatio, parum animaduersa a recentio-
 ribus eruditibus, in causa fuisse uidetur, ut quidam a uera pigno-
 ris imperii notione longius aberrarent, quando adeo Fortu-
 nam auream siue regiam, quae olim in cubiculo Caesarum Ro-
 manorum poni, et Imperatore moriente transferri una cum
 imperio ad successorem solebat, p) ad pignora imperii refe-
 rendam existimarunt. q) Quamquam enim permultum tri-
 buebant Romani Fortunae suae, eaque imperium suum non
 minus, imo plus, quam uirtute creuisse et stetisse credebant,
 nusquam tamen legimus simulacrum aliquod Fortunae arca-
 num et sancte custodiendum ad certam perpetuae felicitatis
 fidem pro pignore diuinitus datum fuisse. Et quae cum si-
 gno illo Fortunae in cubiculo Imperatorum acta esse dicuntur,
 facile declarant, non eam illi uim et uenerationem, quae pi-
 gnoribus imperii, tributam a Romanis esse, neque aliud fuisse,
 quam signum siue symbolum traditi communicatque im-
 perii, hactenus sanctum et uenerabile, quod sanctitatem et
 maiestatem imperantis significaret. Caeterum uix dubita-
 mus, morem illum asseruandi Fortunae simulacri a Galbae
 Impera-


p) Cuius ritus exempla perhibent Iul. Capitolinus in *Anton. Pio*, c. 12, et *M. Aurelio* c. 7. et Spartianus in *Septimio Seu.* c. 23.

q) Vid. Rupertus *Obseru. ad Florum*, lib. I, cap. 2. p. 79.

Imperatoris religione ortum, quem Suetonius memorat r) somniasse aliquando, stantem ante fores Fortunam rogare, ut reciperetur, et, cum euigilasset, inuenisse iuxta limen atrii simulacrum aeneum Deae, cubitali maius, idque consecratum in parte aedium suarum statis supplicationibus coluisse.

Haec sunt, quae ad locum Seruii de pignoribus imperii Rom. obseruanda duximus. Quem quia uidebamus crebro a doctis uiris ad cognoscenda imperii pignora allegari, neque tamen a quopiam expendi et explicari, ut, quanam sint ista a Seruio obscure indicata, et quid iis ueri insit, appareret, nos quidem dandam operam esse iudicauimus, ut errores atque nugae, quas Grammaticus quadam eruditionis et scientiae specie pro arcanis uenditauit, aperiremus, simulque ipsam pignorum imperii rationem paullo diligentius explanaremus. Quod si uidebimur quodammodo assecuti, operae pretium nos fecisse putabimus.

r) In Galba cap. 4.




Helmsstädt, Diss., 1786-95



f
56.







DE
PIGNORIBVS IMPERII
ROMANI

LOCVS SERVII GRAMMATICI
AD VIRGIL. AEN. L. VII. V. CLXXXVIII
EXPENSVS

DISPV TATIO
QVAM
PRAESIDE
IO. CHRISTIANO WERNSDORFIO

SERENISSIMI BRVNOVIC. AC LVNEBV RGENS. DVCIS
CONSILIARIO AVL. ELOQV. ET POES. PROF.
PVBL. ORD.

ORDINIS SVI H. T. DECANO

IN IVLEO MAIORE

A. D. XXV IVL. MDCCLXXXVI

PVBLICE DEFENDET

ERNESTVS LVDOVICVS AVGVSTVS EISENHART

HELMSTADIENSIS
IVRIVM CANDIDATVS

HELMSTADII
EX OFFICINA MICH. GVNTI. LEVCKART ET FILII